B. F!

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

FIDEICOMMISSIS EX CASU CONTRAFACTIONIS PER ALIENATIONEM EXTRÀ FAMILIAM, RESULTANTIBUS,

Quam,

Divino fultus adjutoriô,

Ex decretô & autoritate Magnifici atque Nobilissimi JCtorum Ordinis in inclutâ Salanâ,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi atque Excellentissimi

DN. JOHANN. VOLK. Bechmann/

JCti & Antecessoris celeberrimi, Consiliarii Saxonici, Facultatis Juridicæ, Dicasterii Provincialis & Scabinatûs Adsessoris gravissimi; Patroni & Præceptoris sui devenerandi,

PRO LICENTIA

Summos in utrôque jure honores & privilegia Doctoralia ritè ac legitimè capessendi,

publico eruditorum examini exponit

SALOMON ZAPFIUS, ERFORDIA THURINGUS.

Ad d. Octobr.

Horis ante- & pomeridianis.

JENÆ,

Typis NISIANIS Anno cIɔ Iɔ cLX.

SERENISSIMIS atq; CELSISSIMIS
Principibus ac Dominis
DNN.

DUCIBUS SA-
XONIÆ,

Juliæ, Cliviæ, ac Montium, Landgraviis Thuringiæ, Marchionibus Misniæ, Principali dignitate Comitibus Hennebergiæ, Comitibus Marcæ & Ravensburgi, Dynastis Ravensteini. &c.

NUTRITIIS UTRIUSQUE LINEÆ
MUNIFICENTISSIMIS
ACADEMIÆ SALANÆ,
Principibus ac Dominis meis Clementissimis,

Pagellas hasce tenues
cum studiis universis
humillime
D. D. D.
SALOMON ZAPFIUS,
Autor.

B. F!

De

FIDEICOMMISSO EX CASU CONTRAFACTIONIS PER ALIENATIONEM EXTRA FAMILIAM RESULTANTE.

Lectori εὐτυχεῖν!

PRodit, ecce B. L.! præſens diſcurſus de materiâ, raritatem an ſubtilitatem ſpectes, ſi non omnium principe, certè parùm multis ſecundâ. Et verò, fatemur, minùs terſus ac limatus iſte, quàm vellemus; Nec parùm ſanè puditum eſt pro amphorâ, quam expectabas, urceum exhibuiſſe. Sed enim, quem alium tandem ex quadrinoctio partum, niſi abortivum ſperaveris? Eſto. Aboriri abiturientem oportuit. Tuæ inſignis humanitatis erit, qualemcunque hanc opellam æquibonique conſulere, &, ubi deſiderio reſponderit facultas, cum Deo & die plura expectare. Vale!

CAPUT I.

Præliminaria.

SUMMARIA.

Scopus ſcriptionis 1. & 7. Vis dominii. 2. Hinc ſubſtitutio. 3. quæ duplex. 4. Fideicommiſſum tacitum & expreſſum. 5. Iſti an & quando locus? 6. Tranſitus ad propoſitum. 7.

1. ALeam de materiâ præſenti ſatis arduâ jacturi, in ejus tùm ſubtilitate tùm utilitate ob oculos ponendâ ambitioſè non deſudabimus. Et imò rem agemus. 2. Dominii ea vis eſt 2

& natura, ut, qui eô præditus, de re, cujus est dominus, non pro lubitu solùm & arbitratu propriô disponere, sed &, quod caput est, eandemmet regulariter alienare possit: 3. Eôque jure

3 dubiô procul utitur is, qui jamjàm mortalitatis sarcinam exuturus bona sua in alios legitimè transfert, futurumque sibi successorem designat. Facit hæc designatio successorem modò primum, modò secundum, quem substitutum dicimus, eò

4 quòd antecedaneo cuidam surrogetur, sufficiatur & sublocetur. Ipsa designatio vocatur substitutio. 4. Hæc iterùm duplex, alia enim directò rem, in quâ substitutum, & immediatè & continenter de manu quasi testatoris in substitutum transfert, quæ substitutio directa, itèm substitutio in specie *ἄνευ ἐπιθέτου* audit, eò quòd hic significatus vocabuli sit famosior; Alia obliquè & quasi per ambages & rogationem personæ intermediæ, scilicet ejus cui substituitur, quæ substitutio dicitur obliqua,

5 itèm precaria, & nomine magis vulgari, fideicomissum. 5. Hujus variæ divisiones, quas omnes impræsentiarum excutere nihil attinet. Sufficiat nôsse aliud esse expressum, quod resultat ex disertis & expressis testatoris verbis, (quæ fideicommissaria dicimus, vid. §. *ult. I. de sing. reb. per fid. rel.*) utputà si disertè testator se fideicommittere dicit, atque verbis fideicommissi, quæ vocant, exprimit; Aliud tacitum, quod deficientibus ejusmodi verbis ex conjecturatâ solùm testatoris voluntate inducitur.

6 6. Huic utut maximam statûs controversiam jampridèm moverit malleus pragmaticorum A. Faber, nemo tamen, quantum scio, hucusque fuit, qui locum ipsi eô casu, quô expressa testatoris voluntas servari aliter effectumque sortiri non potest, nisi inductô in pœnam contrafacientis fideicommissô, denegaret.

7 7. Ejus etiàm farinæ est hoc nostrum fideicommissum, quod in pœnam contrafacientis per alienationem extrà familiam, à testatore prohibitam, JCti inducunt, deque quô, materiæ raritate & subtilitate allecti, sumus imposterùm dicturi. Hic ordo esto, ut priùs ejus constitutionem videamus, dein, an, & quando, & quis, & quô remediô constitutum ità fideicommissum consequatur?

Caput

CAPUT II.

Quis & per quod constituat hoc fideicommissum?

SUMMARIA.

Secernenda causa vera à conditione sine qua non. 1. Illa est testator. 2. Ejus causalitas. 3. Prohibitio. Et quis dicatur alienationem prohibere? 4. Quid tùm? 5.

1. Constitutionem hujus nostri fideicommissi visuros secernere omnium primò oportet causam ejus efficientem veram, à requisitô illô necessariô, quod verè quidèm non influit, sine quô tamen existere illud non potest, scilicèt causâ vel conditione sine quâ non, quæ in ordine ad nostrum fideicommissum est nil aliud quàm contrafactio h. e. alienatio extrà familiam, quam testator expressè prohibuerat, de quâ infr. 2. Causa autem vera efficiens est testator. Hunc palàm est debere habere testamenti factionem. Habet autem ille cui non ademta à LL. *vel ob defectum judicii,* quem deprehendimus ex ætate nondùm satis maturâ in impuberibus *l. 5. ff. qui test. fac. p. l. 19. eod. l. 4. C. eod. l. fin. C. de test. mil.* itèm ex morbo animi in furiosis *l. 9. C. de testam.* vel *ob defectum corporis* organis ad conficienda testamenta necessariis destituti, quò pertinent muti & surdi *l. 6. §. 1. ff. qui test. fac. p.* (vide tamen *l. 7. eod. l. 10. C. eod.*) *vel ob statum* quò pertinent servi *l. 8. ff. qui test. fac. p. l. quod attinet ff. de R. J.* & ejus farinæ alii. *Vel ob crimen,* quò referendi damnati carminis famosi *l. 18. ff. qui test. fac. p.* Apostatæ *l. 2. 3. 4. C. de apostat.* & si qui sunt plures, quos perspicere est ex *Nob. atq; Consult. Dn. D. Struviô synt. jurispr. Exer. 32. th. 8. Nob. & Consult. Dn. D. Strauchiô diss. Justin. 9. th. 11. Patronis meis summoperè colendis.* Hi omnes, quemadmodùm nec expressè, ità per consequens neque tacitè fideicommittere possunt, cùm foret alioqui prohibitio LL. hâc in re elusoriâ; imò major vis taciti quàm expressi. Stat ergò fideicommissi nostri causa efficiens. 3. Quæ 3 autem ejus causalitas? Est prohibitio. Finge. Testator prohibet expressè fundi extrà familiam alienationem. Constituitur tacitè hôc ipsô fideicommissum à testatore, qui prohibet, & est

ità causa fideicommissi efficiens. Per quid ? per prohibitionem, ex quâ in casu contrafactionis fideicommissum resultat, quæ ità est causalitas causæ efficientis h.e. illud ipsum per quod constituit tacitè testator fideicommissum. Videndum ergò de
4 hâc prohibitione. 4. Prohibitionis vocabulum alioqui generale est, & denotat non tàm eum qui verbis vel interminationibus dissensum suum super aliquâ re declarat, quàm eum qui physicè cohibet & dissensum suum manuum v. gr. admotione instruit & quasi armat. Hôc autem locô is dicitur prohibere, qui verbis legtimè vel scripturâ expressis, vel linguâ nuncupatis exponit, se nolle hoc vel istud fieri. Hinc iste dicitur alienationē h. l. prohibere, qui verbis expressis vetat rem aliquam alienari.
5 5. Huic si contraventũ, puta si is, cui alienatione interdicebatur, rem alienaverit, usq; adeò dominium eâ alienatione non transfertur, ut potiùs eô ipsô factô committatur fideicommissum, & ità res ea alii sit restituenda. Sed hoc non simpliciter & indistinctè. Sit ergò

Caput III.

Quæ requisita prohibitionis ad effectum producendi in casu contrafactionis fideicommissi.

SUMMARIA.

Jus alienandi, & ejus cohibitio. 1. Fit à lege 2. homine per conventionem. 3. per ultimam voluntatem expressè vel tacitè. 4. Prohibitio nuda & vestita. 5. Ut producatur in casu contrafactionis fideicommissum requiritur ut fiat ab homine, & quid inde? 6. Aliena ab h. l. prohibitio conventionalis. 7. Hæc an impediat dominii translationem? 8. Discessum ab A. Fabro & aliis. 9. Excluditur prohibitio tacita ex fideicommissô nata. 10. Prohibitio debet esse vestita. 11. Nuda quare inefficax ? 12. Quid si adjecta causa, sed inutilis? 13. Vestimentum non debet adjici per verba dispositiva. 14. Aliàs emerget fideicommissum restitutorium post mortem. 15. Respondetur dissentientibus. 16. Ampliatio. 17.

1 1. JUs alienandi esse effectum ex principaliori & nobilissimâ Jurium in re specie, quam dominium vocitamus, resultantem,

in

in vulgus notum est. Alienationem ergò cohibere, quid, quæso, aliud est, quàm dominium quoad exercitium actumvè secundum restringere, & quoad effectum extrinsecùs impedire? Facit autem id aliàs Lex, aliàs homo. 2. Lege regulariter alienari prohibentur fundus dotalis *pr. J. qv. al. lic. vel non* res pupillorum & minorum *l. 1. & t. t. ff. de reb. eor. qui sub tut.* & aliæ ejus farinæ. 3. Homo prohibet vel per conventionem 3
vel per ultimam voluntatem. Conventione inhibetur rei alienatio, cùm v. g. prædium tibi dono eâ lege ut ne id alienes *l. 3. C. de cond. ob caus. dat.* 4. Prohibitio quæ fit per ultimam 4
voluntatem alia est expressa, alia tacita. Illa fit verbis expressis, hæc non item sed resultat ex fideicommissô expressô. 5. Ex- 5
pressa iterùm est vel nuda & simplex, cum nulla causa vel persona apparet ob quam vel in cujus favorem prohibitio facta est; Vel vestita quæ causam adjectam continet. Hanc porrò vestitam vel comitantur verba alia quædam dispositiva (ut si expressè dixerit testator, *fundum familiæ relinquo:*) vel non. 6. 6
Quæ ergò ex his omnibus prohibitio est tanti, ut ex eâ in casu contrafactionis fideicommissum aliquod resultet? Requirimus (1.) *Ut fiat ab homine.* Excludimus ergò hinc prohibitionem quæ fit immediatè per ipsam legem: Hæc enim, utut alienatio contrà eam facta nullius sit momenti *l. 5. C. de LL.* & impediat adeò ea dominii translationem *l. 42. ff. de usucap. l. 1. §. 2. l. 5. §. pen. de reb. eor. qui sub tut.* nunquàm tamen eò rem redigit, ut eô ipsô, quô contraventum prohibitioni, res ad novum quendam transeat, ut fit quando resultat fideicommissum, quin potiùs, factâ licèt contrà prohibitionem alienatione, res manet, impeditâ dominii translatione, penes alienantem, (quod fit in alienatione rerum furiosi, mente capti, infantis, pupilli *l. 11. C. de præd. min. l. 2. l. 8. l. 15. l. 16. C. eod.* prædii dotalis *A. Fab. 69. err. 9.*) vel, utut non regrediatur ad alienantem, non tamen ad novum quendam, sed potiùs ad pristinum dominum, scil. prohibentem, revertitur (ut fit in alienatione emphyteuseos *l. ult. C. de jur. emphyt.* feudi, quæ fit à vasallo absque consensu domini *1. f. 8. 2. f. 39.*) 7. (2.) *ut fiat per testamentum, codicillos, vel* 7
quam aliam ultimam voluntatem. Aliena ergò ab hôc locô est

aliena

8 alienationis prohibitio quæ fit per conventionem. 8. Utut enim valida ea sit, utilis, atque servanda, *l. ult. C. de reb. al. non alien.* tanti tamen non est, ut impediat, factâ contrà se aliena-
9 tione, dominii translationem; 9. Quod defendemus contrà *A. Fabr. 87. error. pragm. 5. 6. 7. Merend. 1. contr. 31. Johan. à Sande tr. de probib. rer. al. p. 4. c. 2. n. 18.* Multò minùs introducendo fi-
10 deicommisso in casu contrafactionis sufficiet. 10. (3.) *Ut sit expressa.* Hinc excluditur tacita quæ resultat ex fideicommissô expressô. Quando scil. testator heredem vel legatarium fideicommissô onerat, lex ex conjecturatâ mente ejus inducit tacitam prohibitionem alienationis rerum fideicommisso subjectarum. *l. 3. §. 3. ff. ad Treb.* Illa tacita prohibitio huc non pertinet, quià præsupponit jamtùm fideicommissum inductum. Nos autem loquimur de fideicommissô tacitô ex prohibitione
11 adhuc inducendô. 11. (4.) *Ut sit vestita* h. e. causam aliquam vel personam, ob quam, vel in cujus favorem prohibitio facta, adjectam contineat, & quidèm, quantum ad præsens, speciatim debet dirigi ad familiam. Non ergò huc facit prohibitio nuda, quæ absque ullâ causæ expressione aut designatione personæ, in cujus favorem facta, interposita est, utputà, si cui legavit testator domum & simpliciter cavit, ne ullô modô legatarius eam alienet, non adjectô, quorum in gratiam alienatione
12 domûs ipsi interdixerit. 12. De ejusmodi prohibitionibus in *l. 114. §. 14. ff. de legat. 1. l. 71. pr. ff. de cond. & dem. l. 38. §. 4. l. 93. pr. ff. de legat. 3.* disertè scriptum, eas nullius momenti esse, adeòque nec legati nec fideicommissi vim habere. Ratio; Quià causâ carent adeòque sunt nuda præcepta *l. 114. §. 14. de leg. 1.* ex quibus scire aut divinando adsequi non possumus, cui in casum contraventionis res adquiri debeat, ideò fideicommissum redditur inane. Conf. *l. 4. l. 10. ff. de reb. dub.* Aliter *Joh. à Sande*
13 *d. tr. p. 3. c. 4. n. 2.* 13. Nil attinet autem, etiamsi rationem, sed inutilem adposuerit testator *l. 38. §. 7. ff. de legat. 3.* Inutile e-
14 nim à non adjecto in effectu quid distat? 14. 5. *Ut vestimentum illud* h. e. causa *non adjiciatur per verba dispositiva*, fortè hôc modô: *Fundum familiæ relinquo: Fideicommitto ne fundum alienes, sed ut in familiâ relinquas. Peto, ne fundus de familiâ exeat.*

Peto

Pe10 ne fundus alienetur, sed in familiâ relinquatur. 15. Tùm enim 15
inducitur quidèm etiàm fideicommissum *l.32. §. ult. l.77. §. pen. de leg.2. l.114. §.15. de legat.1. l.67. §.5. vers. quodsi de legat.2. l.69. §.3. eod.* Sed istud tamen simplex & purum, quod non tantùm in casum contraventionis (de quô fideicommissô solô est nostra disputatio) sed & in casum mortis, licèt nulla cōtraventio præcesserit, comittitur. Vocatur restitutorium post mortē. vid. *Joh. à Sande d.tr.p.3.c.5.n.7. A.Fabr. 14. conject. 6. post pr. Anton. Peregrin.tr.de fideicom.art.15.n.13.* Ajimus; *dispositiva*, ut sciamus nil interesse, etiamsi testator ità dixerit: *Probibeo alienari, & ità fiet ut non exeat de familiâ meâ;* Itèm: *Probibeo fundum alienari, quia volo ut in familiâ relinquatur:* Nam & hisce casibus inducitur solùm fideicommissum tacitum conditionale, cùm sint ea verba enunciativa solùm, nec aliquid disponāt, sed adjecta sint (sunt verba *A.Fabri 14. conject. 14.* ex quô *Joh. à Sande d. tr. p.3. c.5. num.5.*) vestiendæ, ut ajunt, & confirmandæ prohibitionis gratiâ, quæ alioqui nuda esset. Vid. *Joh. à Sand. l. c. A. Fab.* 16
l. c. 16. Nec moramur Bartoli effatum: *verba enunciativè prolata in modum causæ inducunt dispositionem.* Satis enim (inquit *Fab. l. c.*) inducunt hôc ipsô dispositionem, quô faciunt ut ex alienationis prohibitione inducatur fideicommissum, quod alioqui non induceretur manente nudâ ejusmodi prohibitione. 17. Imò ampliamus ità, ut nec tùm inducatur fideicommis- 17
sum purum, ubi ea verba; *quià nolo manere in familia;* adjecta fuerint vestitæ jamtùm prohibitioni. Ità statuimus cum *A.Fabr. 14. conject. 14. Joh. à Sand. d.tr.p.3.c.5. n.6. Ant. Peregr. de fideicom. art. 14. n. 15.* contrà *Dd. commun.*

Caput IV.

Quid prohibere censeatur testator, rei alienationem extrà familiam, vel intuitu familiæ prohibens?

SUMMARIA.

Scopus. 1. Duo in propos. Qu. inspicienda. 2. Probibet testator alienationem vel simpliciter, vel ejus solùm quandam speciem. 3. Probibens

bens unum quid ex pluribus, reliqua permissurus videtur. 4. Consectaria. Satisfit dubio. 5. Quid si simpliciter interdictum alienatione extrà familiam? Regula. 6. Prohibitus alienare simpliciter nil eorum potest facere quibus dominium plenum utilevè abeat ad extraneum. 7. Quaeritur de actibus ultimae voluntatis. 8. Dissentit A. Faber. 9. An per prohibitionem alienationis extrà familiam arceatur heres ab intestato? Disputatur κατ' ἄνθρωπον. 10. Sententia nostra. 11. Defenditur ab objectionibus. 12. 13. Quid si vestita prohibitio per verba dispositiva? 14. 15. Consectaria plura ex super. regulâ. 16. 17.

1 1. DIximus hucusque causalitatem causæ efficientis esse, in ordine ad fideicomm. tacitum conditionale constituendum, nil aliud quàm prohibitionem alienationis, ejusque etiàm requisita enarravimus. Videamus etiàm porrò, quid per eam prohibitum esse videatur, ut ità deinceps pateat, quando
2 & quô casu fideicommissum committatur. 2. In hâc autem re decidendâ primò quidèm & principaliter voluntatis & intentionis testatoris habenda ratio, ea enim pro lege observanda, *Nov. 22. c. 4.* nec novum verba in significatione impropriâ accipi, ut defuncti voluntas & mens, etiàm solùm conjecturata, conservetur, vid. *l. 69. pr. de leg. 3. l. 35. §. 3. ff. de her. instit. l. 15. C. de testam. l. pen. C. de necess. serv. her. inst.* Dein verò, ubi eam aliunde adsequi non poterimus, ad verba, quibus usus testa-
3 tor, eorumque significationem & vim recurrendum. 3. Res commodissimè expediri posse videtur distinguendo ante omnia; An prohibitio testatoris fuerit indefinita, indetermina-
4 ta & generalis; An verò restricta & ad certas quasdam alienationis species determinata. 4. Si hoc, puta, si alienationis certam tantùm speciem inhibuerit testator, immotè tenendum, reliquos omnes alienandi modos censeri permissos. Sic in re simili ait Modestinus in *l. 24. de pign.* in quorum finibus emere quis prohibetur, pignus accipere non prohiberi; & Paulus in *l. 12. pr. ff. de judic.* Prætorem, cùm unum ex pluribus judicare vetat, cœteris id committere videri. Quæ si vera sint, ùt sunt quidèm, præsup-
5 ponere omninò, tanquàm regulam, debent, *eum, qui unum quid ex pluribus vetat, reliqua permittere videri.* 5. Hinc jàm deducimus (1.) ei, qui vendere prohibitus, donatione regulariter

non

non esse interdictum, arg. *l. 8. §. 13. ff. qu. mod. pign. vel hyp. sol. l. 37. sq. ff. de contr. emt.* Nec moramur LL. XII. tabb. quæ vocabulo vendendi omnem alienationem comprehendebant. Referendum enim hoc est ad consvetudinem veterum Romanorum, apud quos non nisi per venditionem, ad minimum imaginariam, alienatio fiebat. Vid *A. Fab. 14. conj. 13. Joh. à Sand. p. 3. c. 3. n. 2. sqq.* (2.) Eum, cui interdictum donatione, oppignoratione, &c. eô ipsô non prohiberi ab alienatione per ultimam voluntatem, per *l. 38. §. 3. de legat. 3.* 6. Hæc ità, si certa 6
solùm alienationis species est prohibita. Sequitur alter casus, quô prohibita est alienatio extrà familiam in genere & simpliciter, nullâ designatâ alienandi specie. Videndum, quid eâ alienatione contineatur. Res intricatissima! Regula hæc esto: *Probibito alienare extrà familiam interdictum esse censetur quôcunque actu quô res vel jus quoddam in re ad extraneum* (h. e. talem, qui non est ex familiâ eâ in cujus favorem prohibitio facta,) *absque necessitate transfertur.* Hoc ipsum tantùm non expressè traditum in *l. ult. C. de reb. al. non al.* 7. Ajimus: *res:* h. e. 7
dominium rei. Vi hujus ergò prohibitionis prohibitus nil eorum potest facere per quæ dominium, sive plenum sive utile, in extraneum quendam transfertur. Hinc non potest donare, vendere, in solutum dare, permutare, in emphyteusin, in feudū dare &c. 8. Et ergò, inquis, interdictum etiàm ipsi hôc ipsô 8
actibus ultimæ voluntatis, puta heredis institutione & substitutione, legati & fideicommissi datione? Ità putamus per *l. 8. §. 2. C. de sec. nupt.* ubi in genere scriptùm etiàm eam esse alienationem quæ in testamento vel specialiter relinquendo, vel generaliter heredem instituendo facta est. Qui ergò rem alienare prohibetur, is nec heredem instituere, nec quicquam tale in eâ facere potest. Conf. *l. 69. §. 3. ff. de legat. 3.* 9. Dissentit *A. Faber, 14. conject. 6. sq.* cujus rationibus videbimus, an, datâ occa- 9
sione, in conflictu satisfieri possit. 10. Nova exoritur dubita- 10
tio: An per prohibitionem alienationis extrà familiam arceatur extraneus prohibitô abintestato successurus? Miramur hoc affirmari ab iis, qui agnoscunt differentiam ratione commissionis inter fideicommissum in casu contrafactionis, & simplex

 plex

plex s. absolutum. Dicunt enim, fideicommissum restitutorium post mortem (quod simplex, & absolutum dicunt,) committi non tantùm in casu contraventionis, puta, quando ex contractu vel ex testamento res in extraneum transfertur, sed & in casum mortis, puta, si per mortem gravati ab intestatô res ad extraneum pervenerit. Quodsi jàm concedatur per prohibitionem simplicem verbis non-dispositivis vestitam arceri heredem ab intestatô prohibito successurum, etiàm statuere eos necesse est, fideicommissum in casu contrafactionis, (quod nascitur ex ejusmodi prohibitione,) committi in casu non contraventionis solùm, sed & in casu mortis, puta, si per mortem gravati ab intestatô res in extraneum transfertur. Quæ, quæsò, jàm differentia ratione commissionis inter fideicommissum tacitum conditionale, (quod fideicommissum in casu contrafactionis vocant,) & fideicommissum tacitum purum?

11 Hæc κατ' ἄνθρωπον. 11. Quid nos putemus, non est, quòd diu expectes. Cùm enim ex dictis sup. pateat, nos omninò agnoscere differentiam ratione commissionis inter eas fideicommissorum species, statuere omninò etiã necesse est (ne in idem vitium incidamus) per prohibitionem, quæ vestita, (non tamen verbis dispositivis,) quâ scilicet quis prohibetur alienare extrà familiam, non arceri à testatore heredem, etiàm extraneum, prohibito ab intestatô successurum.

12 12. At, inquis, quæ ratio differentiæ svadet, ut per eam prohibitionem interdictum censeamus prohibito expressâ heredis institutione, quâ res pervenit ad extraneum, non autem tacitâ, quæ eô ipsô contingit, quô quis moritur intestatus? vid. *l. 8. §. 1. ff. de jur. codicill. l. 3. pr. eod.* Dabimus. Ea alienatio, quæ fit per expressam heredis institutionem est actus aliquis positivus, quique ab ipsô prohibitô est celebratus; Ea verò quæ fit per tacitam, est actus qui non ab ipsô prohibitô (nisi fictitiè & interpretativè) sed ab ipsâ lege celebratur, (ipsa enim lex defert heredibus ab intestato hereditatem.) Jàm autem testator interdicens alicui alienatione extrà familiam, eos solùm actus prohibere videtur, per quos ab ipsô prohibitô, & per factum ejus positivum res ad aliquem extraneum abit.

13 13. Instas? Si hoc, quare com-

committitur fideicommissum, ubi prohibitus passus fuit rem usucapi ? (*vid. l. 16. ff. de fund. dot. l. 3. §. pen. ff. de reb. eor. qui sub tutel. l. 28. de V. S.*) Nempè, quià est quidèm is actus prohibiti negativus, ast prætereà etiàm imputativus, cùm culpa ipsius, nempè negligentia, præcesserit. Imputari autem non debet defuncto; cur intestatus decesserit *l. 6. pr. ff. de inoff. test.* 14. Illud sciendum, secus esse ubi testator prohibitionem vestiverit verbis dispositivis, fortè hôc modô: *Fundum familiæ relinquo; Peto, ne fundus alienetur, sed in familiâ retineatur;* 15 Eô ipsô enim prohibitam putamus alienationem tacitam, quæ contingit, dùm quis intestatus moritur. Ratio. Quià tùm prohibitio est realis, & jubet testator rem relinqui familiæ, Ergò prohibuisse creditur omne id, quôcunque tandem fit, ne res sit in faliâ. Consentiunt *A. Faber 14. conject. 11. Joh. à Sande p. 3. c. 3. n. 28. Pet. Ant. de Petra qu. 8. n. 299. Angel. Matthea c. l. 2. de fideicomm. c. 23. n. 7.* 16. Ajimus iterùm in sup. regulâ: *vel jus quoddam in re:* subaudi: *aliud præter dominium.* His consequens est, prohibitum simpliciter alienare extrà familiam, non posse alii eâ in re hypothecam, servitutem &c. constituere. vid. *l. ult. C. de reb. al. non al.* & ibi novissimè *Wiessenbach in comm. ad Cod.* Conf. *Philip.* Knipschildt *tr. de fideicom. fam. illustr. c. 11. n. 52. & seqq.* 17. Ajimus tandem: *Absque necessitate:* Hinc, qui necessariò alienat, non videtur contravenisse prohibitioni testatoris; Necessitas enim non habet legem, ejusque causâ multa contra communes regulas conceduntur. Quotuplex autem sit necessitas, & quæ sit sufficiens ad impunitatem alienationis, eleganter explicat *Joh. à Sande d. tr. p. 3. c. 8. §. 2.* quem huc transscribere nolumus. Conf. *l. 114. §. 14. de leg. 1. l. 78. §. ult. de leg. 2. l. 9. de fideicomm. libert. A. Fab. 20. err. 2.* Knipschild *tr. de fid. fam. ill. c. 11. n. 216. seqq.*

Margin: 14 15 16 17

CAPUT V.

De contrafactione, & quando committatur fideicommissum tacitum conditionale?

SUMMARIA.

Contrafactio se habet in ordine ad nostrum fideicommissum ad modum conditionis sine quâ non. 1. 2. 3. Quæ autem ista? 4.

1. Quod

1 1. QUod vulgò notũ eſt, non poſſe effectũ reſultare, niſi poſitis, omnib. ad agendũ requiſitis contingere etiàm in hâc noſtrâ fideicomiſſi cõditionalis taciti productione neceſſe eſt. Utut n. prohibuerit teſtator, adjectâ etiàm juſtiſſimâ, per verba enunciativa, prohibitionis causâ, non tamen ſtatim dicendum
2 extitiſſe hôc ipsô fideicomiſſum aliquod; 2. Nec n. locus illi, niſi tùm demùm, ubi prohibitio ea aliter effectum ſortiri non poteſt, quàm inductô ex conjecturatâ teſtatoris voluntate fideicommiſsô, quod ipſum tùm demùm dici poterit, ubi prohibitioni iſti contraventum fuerit; Ubi enim hoc nondùm factum, adhùc in eâ causâ eſt prohibitio, ut effectum alium, eumq; or-
3 dinarium & naturalem ſortiri queat. 3. Hinc ergò dicendum videtur, habere ſe contrafactionem, quantum ad effectum fideicommiſſi noſtri taciti introducendi, ad inſtar conditionis ſ. cauſæ ſine quâ non, hæc enim utut verè in effectum, puta fideicommiſſum, non influat, neceſſariò tamen ad illud quoad exiſtentiam inducendum præſupponitur atq; prærequiritur, eôdem planè modô, quô videmus calefactionem aquæ ſine ap-
4 propinquatione ad ignem non contingere. 4. Quæ autem iſta contrafactio? Eſt nil aliud quàm actus contrà prohibitionem teſtatoris perpetratus, commiſſus, & per quem peccatum contrà factam à teſtatore prohibitionem. Breviùs: Eſt actus à teſtatore prohibitus. Quemnam autem actum prohibuiſſe videatur teſtator per prohibitionem alienationis extrâ familiam, capite præced. excuſſimus. Hîc repetere nihil attinet.

Caput VI.

Quale ſit fideicommiſſum ex prohibitione ſimplici alienationis extrà familiam reſultans?

SUMMARIA.

Quæſtio proponitur. 1. Fideicommiſſum noſtrum eſt tacitum. 2. Conditionale. 3. & differt ab expreſſo. 4. Et tacitô ſimplici. 5. Prohibitus alienare extrà fam. poteſt impunè transferre in aliquem ex fami-

familiâ etiàm remotiorem. 6. An hoc fideicommiſſ. ſit multiplex, graduale, reale, & perpetuum? 7. Ajunt quidam. 8. Adverſus quos diſputatur. 9. 10.

1 EÒ deventum, ut ſciamus ex prohibitâ ſimpliciter à teſtatore alienatione extrà familiam reſultare fideicomiſſum. 1
Videndum porrò, quodnam tandem illud? 2. Quòd quidem ſit 2
hoc fideicommiſſum *tacitum* vel ex eô ſolô patet, quòd non expreſsâ, ſed ſolùm ex facta prohibitione alienationis extrà familiam conjecturatâ teſtatoris voluntate inducatur, eò quòd ea, ubi contraventum fuit, ſervari aliter effectumq; ſortiri non poſſit niſi inductô in pœnam contrafacientis fideicommiſsô.
3. Diximus autem committi in caſu contrafactionis h. e. tùm 3
demùm quoad exiſtentiam incipere, ubi contrafactum prohibitioni, ubi per actum aliquem, puta alienationem, contrà eam prohibitionem ventum atque peccatum fuerit. Hôc ipsô quid aliud innuimus, quàm eſſe hoc tacitum fideicommiſſum *conditionale*, quaſi quod tacitè à teſtatore inductum eſſe cenſeatur ſub hâc conditione: ſi prohibitioni alienationis extrà familiam contraventum, ſi voluntati teſtatoris non paritum, ſed eâ inſuper habitâ res alienari prohibita per contractum vel ultimam aliquam voluntatem in extraneum translata fuerit?
Differt ergò *(1.) à fideicommiſsô expreſsô,* quippe quod à teſtato- 4
re expreſsè & per verba fideicommiſſaria *(de quibus in §. ult. I. de ſing. reb. per fid rel. & ibi Dd.)* relictum, & ad quod inducendum non opus conjecturatione voluntatis teſtatoris, cùm ea ex verbis expreſſis fideicommiſſariis, quibus uſus teſtator, ſatis in apricô ſit. 5. *(2) A fideicommiſsô tacitô ſimplici*, ſeu (ut alii 5
vocant,) duplici, abſolutô, reſtitutoriô poſt mortem &c. Hoc enim purè & ſimpliciter (quanquàm etiam tacitè) à teſtatore relictum videtur, quippe qui uſus erat in veſtiendâ prohibitione verbis diſpoſitivis, quibus innuit, ſe non demùm ſub hâc conditione; ſi contrafactum fuerit per alienationem extrà familiam; ſed purè & ſimpliciter, ſive contrafactum fuerit, ſive non, poſt mortem gravati velle rem relictam pervenire ad familiam. 6. Hiſce omnibus conſequens eſt, eum, qui prohibi- 6
tus alienare extrà familiam, poſſe impunè transferre in ali-

quem

quem ex familiâ etiam remotiorem, ità ut non committatur fideicommissum. Tamdiu enim non committitur, quamdiu nondùm tale quid fecit prohibitus, quô res transfertur ad extraneum; Jam autem per istud factum res non perveniebat ad extraneum, sed unum ex familiâ, Ergò impunè id fit, necdùm committitur fideicommissum.

7 7. Abiremus hinc, nî negotium adhuc facesserent ii, qui putant, esse hoc fideicomissum multiplex, graduale, reale & perpetuum. Finge. Testator (de cujus familiâ sunt Titius, Sempronius, & Cajus.) prohibet fundum extrà familiam ab herede alienari. Moritur. Heres transfert in extraneum, & hôc ipsô casu contrafactionis committitur fideicommissum, adeòque res restituenda Titio. Factum. Quæritur, an Titius posteà fundum extraneo dare vel relinquere possit; An verò & huic interdictum esse censeatur alienatione extrà familiam, adeòque debeat fundus iste in casibus contrafactionis gradatim per omnem familiam currere?

8 8. Credunt hoc posterius *Paulus de Castro* & alii citati *à Petro Ant. de Petra tr. depd. ex prob. al. res. fid. q. 5. n. 148.* & quidem, quantum videre est, ex hâc potissimùm ratione, quòd relictum tacitè censeatur hoc fideicommissum familiæ, sit autem ea aliquid collectivum & graduale, adeòque etiàm per se inducat multiplicationem fideicommissorum.

9 9. Sed rectiùs horum opinioni nuntium mittit *A. Faber. 54. err. 7. sq.* & post eum *Joh. à Sande d. tr. c. 5. p. 3. n. 10.* Aliud enim est de vocatione loqui, aliud de admissione. Eô ipsô quô tacitè vocatur à testatore familia, vocantur quidem plures gradus, quos continet collectivum illud, familia; Sed ità tamen, ut unus tantùm gradus admissus cœteris omnibus obstet, ne admitti unquàm possint, adeòque plures vocati, at non itidèm plures admittendi.

10 10. Nec iis patrocinatur *l. 32. §. 6. ff. de leg. 2.* verbb. *aut post eos omnes extinctos:* Quæ verba putant habere tractum temporis, & eam significationem, ut alii post alios admittantur. Nam probandum adhuc erat eos, qui extincti dicuntur, fuisse omnes admissos, aliàs nobis non contradicitur. Concedimus enim hôc ipsô, quô tacitè vocatur familia, plures vocari, sed unum solùm admitti, post quem alii dein non admittuntur, nisi in casum non aguiti, quod ex cap. seq. patefiet.

Caput VII.

Quis admittatur ad commissum ità fideicommissum?

SUMMARIA.

Acquiritur fideicommissum tacitum conditionale ei in cujus favorem prohibitio facta. 1. Familia impræsentiarum quid sit? 2. Jus novum in l. ult. C. de V. S. 3. Testator de familiâ locutus intelligendus non præcisè de familiâ cujus ipse est caput. 4. An liberi illegitimi adspirare queant ad hoc fideicommissum? 5. An legitimati? dist. 6. Adoptivi? 7. Proximiores ex familiâ admittendi. 8. 9. Qui autem isti? Dubitatur. 10. Disputatur adversùs eos qui putant spectandam esse proximitatem gravati. 11. 12. An repræsentationi, & quando locus? 13. Dubio satisfit. 14.

1. DIximus suprà ex præceptis nudis eò non resultare fideicommissum, quòd ignoretur ob quam causam & in cujus favorem sint interposita, adeòque, etiamsi ipsis contraventum fuerit, divinando adsequi non possimus cui in casu contrafactionis res adquiri debeat. Hæc ipsa, si penitiùs intueamur, tacitè volunt, fideicommissum, si quod committitur in casu contrafactionis per prohibitam alienationem, adquiri ei in cujus fauorem & cujus causâ prohibitio interponebatur. Jam autem palàm est prohibitionem eam, quâ de tractamus, interpositam esse in favorem & causâ familiæ; Quid ergò cessamus dicere adquiri istud fideicomissum in casu contrafactionis familiæ? Sed nondum transactum. Nôsse oportet quid sit familia, & qui ex eâ, & quando, & quô ordine admittantur? 2. Familia varios admittit significatus. Eos omnes impræsentiarum excutere animus non est. Vid. JCtus in l. 195. de V. S. qui latius-

familiæ aliquid relinquitur aut mandatur vel præcipitur, quàm in ſtipulationibus accipitur, ut pertineat propriè ad agnatos ſ. eos qui per virilem ſexum ſanguine juncti & copulati ſunt. In hôc ſignificatu Gajus in *l. 196. de V. S.* fœminarum liberos in familia earum eſſe negat. Ratio eſt apud Ulpianum in *d. l. 195. §. 1.* *Mulier enim,* inquit, *familiæ ſuæ & caput & finis eſt.* Eſt *caput* h. e. principium. *Alciat. ad d. text.* nempè novæ familiæ. Rectè. Unà enim cum marito conſtituit ſobolis procreatione & propagatione. *Finis,* nempè priſtinæ familiæ. Quià deſinit in eâ familia; quam enim ea ſobolem enititur, non in ſui patris, ſed mariti poteſtatem familiamque redigit. Hæc quidèm ita de jure veteri.

3 3. Noviter Juſtinianus in *l. fin. C. de V. S.* familiæ appellationem in fideicommiſſis & legatis latiſſimè extendit, adeò ut per eum familia contineat primò liberos, deinde parentes, porrò collaterales, deinceps generum & nurum, imò tandem libertos.

4 4. Poſt h. l. ult. ineptè quæri putamus, an, cùm teſtator de familiâ ſuâ loquitur, intelligendus ſit de familiâ teſtatoris effectivè, h. e. de deſcendentibus ex ſeipsô & de ſuo colonello tantùm (ità loquitur *M. Ant. Peregrin. tr. de fideicomm. art. 22. n. 66.*) an verò contentivè, ità ut contineat omnes de illâ familiâ, ſub quâ, inſpectô communi ſtipite, teſtator ipſe continetur? Breviùs: An teſtator de familiâ locutus intelligat familiam ex ſe provenientem, & cujus ille eſt caput, an verô eam in quâ ipſemet eſt & quæ originem ab aliô communi ſtipite ducit? Dicta enim *l. ult.* diſertè ait familiæ nomine & parentes contineri; Parentes autem non ex teſtatore proveniunt, ſed ipſe ex illis. Idem ex eô patet quòd addantur ibidem propinqui: Eô enim nomine non deſcendentes, ſed à latere juncti inſigniri ſolent. Patet adeò familiam eam denotari, non cujus teſtator eſt caput, ſed cujus ipſe eſt membrum.

5 5. Ajimus autem, *liberos:* intellige *legitimos:* Illegitimè enim procreatos ad fideicommiſſum hoc adſpirare non poſſe putamus cum *Menochio 4. præſ. 88. n. 13. 14. Ant. Peregrin. art. 22. n. 82. ſeqq.*

6 6. Quid de legitimatis? Intereſſe putamus, an legitimati per reſcriptum Principis fuerint, an per ſubſequens matrimonium. Hos familiæ nomine, non item illos contineri impræſens putamus. Vid. *Peregrin.*

Peregrin. d. tr. art. 23. sq. Joh. à Sand. d. tr. p. 3. c. 6. n. 9. 7. Illud 7
alioqui indubium est liberos adoptivos contineri. Adsumunt enim ii nomen testatoris, idque etiàm eô mortuô retinent. Plura vid. ap. *Joh. à Sand. l. c. Peregr. d. art. 22. num. 31. & pass. Mantic. de conject. ult. vol. l. 8. l. 13. Sim. de Pratis de interpr. ult. vol. l. 3. dub. 1. fol. 11. Menoch. præsumt. 88.* 8. Quid ergò est? Anne hi o- 8
mnes, eô ipsô quô prohibita alienatio extrà familiam, in casu contrafactionis vocati censentur ad fideicommissum? Ità sanè. Vocati omnes. Est enim familia, quod sup. dicebamus, quid collectivum, & eô ipsô, quô tacitè vocatur ea, vocata censentur ea, ex quibus est collecta atque constat, puta membra familiæ. Ast in admissione res non usquequàque expedita. Non enim statim, ubi quis vocatur, & admittendus indistinctè est, nec novum plures vocari, unô admissô reliquos repelli; quam rem sup. tetigimus. Videndum ergò, an, & quinam vocati & quando admittendi? 9. Res ità habenda: Testator prohibens 9
rei alienationem extrà familiam, tacitè vocat omnia membra familiæ s. omnes in familiâ existentes, proximiorem quidem gradu indistinctè & in casum fideicommissarium; (est autem casus fideicommissarius nil aliud quàm existentia conditionis, quâ existente ipsum etiàm fideicommissum committitur, h. e. quoad existentiam incipit.) Reliquos verò gradatim in casum solùm non agniti, seu vulgarem, h. e. tùm demùm ubi ab antecedaneo non agnitum fuerit fideicommissum. Ii, qui in casum fideicommissarium vocati, indistinctè sunt vocati, adeòque etiàm indistinctè admittendi, sive unus solùm sivè plures, ejusdem tamen gradûs, fuerint vocati, vid. *l 69. §. 3. de legat. 2.* Ii verò qui in casum non agniti s. vulgarem vocati censentur, sunt quidem etiàm gradatim admittendi, sed tùm demùm ubi priores s. præcedentes quisque fideicommissum non agnoverint sed repudiaverint. vid. *l. 32. §. ult. ff. de leg. 2. l. 69. §. 3. vers. quid ergò. eod.* Summa: Admissio ità debèt fieri ut proximior re-

mior, quantum ad præsens, qui testatori reliquis est propior, an
11 is qui prohibito s. gravato? 11. Stamus à parte *A. Fabri 54. err. pragm. 8. Joh. à Sande p. 3. c. 6. n. 18. Fr. Cald. qu. for. 19. num. 1. sq. Wiessenbach. vol. 2. ad ff. disp. 2. th. 12.* qui putant spectandam esse proximitatem testatoris; lisque favere imprimis videtur *l. 22. §. ult. ff. de leg. 2.* ubi, cùm dixisset JCtus omnium primò (si qui sunt) admittendos esse nominatos, his deficientibus aut extinctis reliquos, qui ex nomine (h. e. familiâ) defuncti fuerint eô tempore cùm moreretur, subjicit, eos tamen non omnes admittendos esse, sed qui ex his (h. e. qui horum) primô gradu procreati sunt, h. e. qui defunctum (nam heredis gravati planè
12 nullam facit mentionem,) propiùs contingunt. 12. Et quare, quæsumus, propinquitas gravati spectanda? Quià, inquis, ipsi succeditur, & videtur prohibens testator eos ad fideicomissum vocâsse, qui gravato sunt proximiores, eò quòd & aliàs ipsi sint ab intestato successuri, ordinem autem successionis ab intestato testatori placuisse in dubio dicendum sit? Ast imò falsum hoc, nempè hôc nostrô casu, imò in genere per fideicommissum succedi gravato. vid. *l. fin. C. de V. S. l. 67. §. 1. seq. de leg. 2.* Dicendum enim potiùs succedi testatori. Et quanquàm restituenda sit hereditas à gravato, illud certè nil probat ampliùs, quàm uti testatorem gravatô in relinquendâ hereditate fideicommissario tanquàm mediô & instrumentô; Non exinde sequitur, Ergò illi ipsi instrumento succeditur. Plura videsis ap.
13 all. autt. 13. Sed nunquid repræsentationi locus? hoc est; An ità sit admissio, ut ille, qui, cùm in se spectatus sit remotior, succedendo tamen in locum parentis sit propior, est admittendus, aliumque hôc ipsô remotiorem excludit? Itâ sanè putamus, si de eô loquaris, qui eôdem jure repræsentationis ab intestatô succedere posset. vid. *Ant. Fab. Cod. Sabaud. lib. 6. tit. 20. def. 8. & 10. & ejusd. decad. 55. err. pragm. 4. sq. Joh. à Sande p. 3. c. 6. n. 22.*
14 *Wiessenbach. vol. 2. ad ff. d. 2. th. 15.* 14. Nec moramur (quam urgent magnoperè Diss. Bart. & alii) præsumtam testatoris adfectionem majorem ergà proximiorem. Nam imò & hic, in se spectatus remotior, jure repræsentationis sit proximior. Deinde, locus tantùm est ei adfectioni quando testator certæ per-
sonæ

ſonæ vel certo gradui nominatim reliquerit. Ergà eum enim major præſumitur utique teſtatoris adfectio. Secùs verò eſt noſtrô caſu, ubi in genere reliquiſſe cenſetur teſtator fideicommiſſum familiæ. Eſt hæc poſterior reſponſio *Ant. Fabri l. c.* ex quô *Joh. à Sande l. c.* Plura vid. *ap. alleg. autt.*

CAPUT VIII.

Quô remediô petendum ſit hoc fideicommiſſum?

SUMMARIA.

Tres competunt fideicommiſſario actiones. 1. 2. Plura remiſſivè. 3.

1. EA impræſentiarum, & quidem ultimò, diſcutienda Quæſtio: Quônam remedio commiſſum hoc in caſu contrafactionis fideicommiſſum perſequatur fideicommiſſarius? 2. Breviter dicendum, ei tres proditas eſſe actiones ordinarias, (olim erat perſecutio fideicommiſſi ſingularis ſolùm extraordinaria.) I. Actio perſonalis ex teſtamento vel codicillis. II. Rei vindicatio. III. Hypothecaria. Vid. *l. 1. C. commun. de legat. l. 69. §. 3. l. 77. §. 27. de leg. 2.* 3. Plura invenies ap. *Peregrin. tr. de fideicom. art. 4. 5. ſqq. Fuſar. tr. de fideicomm. ſubſt. qu. 611. Job. à Sande d. tr. p. 3. c. 7. per tot.* qui etiam cap. 8. eleganter tradit, quibus exceptionibus perſecutio hujus fideicommiſſi poſſit elidi: Ipſi rem latiùs perſequeremur, ſi prolixioribus eſſe liceret.

1
2
3

TANTUM!

COROLLARIA.

1. Videbimus an defendi possit, jurisprudentiæ finem æquatum esse justitiæ solùm particularis exercitium.

2. Jus naturale in bruta propriè non cadere, hôc, an fallimur, firmissimô argumentô probari posse videtur: Quicunque actus non sunt morales h. e. capaces laudis vel vituperii; ii non possunt dici justi vel injusti, (justum enim dici nil aliud est quàm laudari, & injustum dici, quàm vituperari;) Ast actus brutorum, eô ipsô quô fiunt à brutis, non sunt morales, Ergò non possunt dici justi vel injusti. Si hoc, ergò nec sub jus Naturæ cadunt, cùm non possint aliter sub id cadere nisi sub consideratione justi vel injusti, seu, nisi quatenùs debent fieri justi. Min. prob. prosyll. Quæcunque cum necessitate agunt, quod agunt, illorum actus non sunt capaces laudis & vituperii; Ast bruta &c. Ergò. Maj. hujus pros. patet, quià nemo, nisi insulsè, laudabit vituperabitvè eum qui fecit & peregit id, quod ipsum facere oportuit. Min. prob. Quià bruta non agunt, nisi secundùm appetitum sensitivum, cui, sec. Philos. comm. ob defectum rationis non possunt non obtemperare. Dubia solutum ibimus in cathedrá.

3. Non datur obligatio merè civilis.

4. Emphyteuticum contractum quoad essentiam juri civili adscribendum putamus.

5. Legitimatos per subsequens matrimonium, (non item per rescriptum Principis) etiam in feudis succedere sustinebimus.

6. Dolum, si dederit causam contractui bonæ fidei, reddere eum ipsô jure nullum contrà Ultramontanos defendemus.

7. Per-

7. Perjurio, quatenùs solam Divinæ majestatis læsionem importat, pœnam jure civili nullam statutam esse putamus.

Cùm præcellentem prodas juvenilibus annis
Doctrinam, & studii præmia digna feras,
Continuò florescat honos, & fama perennet,
Atque senem laudet Te pia posteritas!

Ita
vovet properante calamô
Clarissimo Dn. Doctorando,
Fautori & amico suo honoratissimo
Georgius Adamus Struve/*D.*

DN. SALOMONI ZAPFFIO,
J. U. Doctorando,
JOHANNES STRAUCHIUS, D.
S.

JAmdudùm, Clarissime Juvenum, in affectus te mei sinum recepi, in quo primum natura, quantum potuit, expressit, educatio verò, quod illa non potuit, perfecit. Rarum est, dos

gia ingenii felicitate poteras, & ut præstare velles, naturæ probitate, constântiq; voluntate effectum est. Non deerant exempla Parentis magni, quem non demum extulit Aulæ gratia, sed virtus, sed probitas, sed pietas & scientia ad Aulas fecit gratiosum. Naturæ itaque dotibus & paternis exemplis ac monitis, tùm Præceptorum, fortè & nostris consiliis melioris doctrinæ succos bibisti, quibus & animum tinxisti & mores. Quare Gratiæ adolescentiam, juventam nunc ornat eruditio. Nec dubito, quin reliquam quoq; ætatem olim prudentia. Hujus enim præcipuè gratiâ nunc paras iter. Felix ergò faustumq; illud sit, quod ardor discendi, ut susciperes, svasit. Hunc verò tantum abest, ut exstingvere peregrinatio possit, ut magis motu magisque sit accensura. I ergo feliciter, nos desiderio tibi comitabimur, uti jam præimus voto, ut transactô ex animi sententiâ itinere redux factus, felicem magis magisque patriam, teque ipsum his dotibus, & clariorem reddas. Vale.

F I N I S.